

uti in præcedente articulo dictum est. (2.) Præscribitur hujus accusationis formula, quid scilicet accusator in sua accusatione præcipuè proponere & petere debeat. Nimirum (a) *Accusatoris nomen*, quodnam scilicet ipsius accusatoris nomen proprium ut & cognomen sit, (b) *Accusati nomen*, causa hujus constitutionis antea fuit exposita. (c) *Speciem delicti*, quodnam crimen propriè perpetraverit delinquens Reus. Nomen Judicis tamen non exprimitur, quòd hæc repetita accusatio, quæ saltem dicis causâ instituitur, se referat ad accusationem antea in Judicio propositam: & quia ibi reliqua omnia sunt expressa, hîc pro repetitis habentur: quippe quòd relatum sit in referente cum omnibus suis qualitatibus: & paria sint, vel expressè, vel per relationem aliquid ponere. *Gail. l. 1 Obs. 82. n. 25. § 26. p. 147. § 148.* Formula accusationis habetur in textu, non tamen tam præcisè illa est præscripta, ac si neque plus, neque minus in accusatione proferre liceat; sed ut illa saltem sit delineatio & idèa, juxta quam concipienda sit accusatio; modò itaque substantialia retineantur, postmodum quibus verbis illa exprimat, non ita attenditur. Illud tamen prætereundem non est, quòd certa quidem pœna in hac accusatione non petatur, concludi tamen debeat in genere ad puniendum delictum, prout fuit legibus provisum: verum cum apposita clausula: *Super quibus omnibus Nobilissimum Judicis officium pro administrando Jure & Justitia humillimè imploro.* Vide *Jul. Clarum l. 5. Sent. §. ult. qu. 12. v. 13. p. 496.*

II. *Quod accusationem in scriptis exhibere possit accusator.* Nimirum, ut, cum Patronus vel etiam Procurator vel è numero Assessorum electus, vel aliunde assumptus nolit, vel non possit oretenus repetere accusationem, eam in scriptis Judici offerre poterit cum hac petitione, ut Judex accusationem propositam è scheda insinuata per Actuarium publicè recitari & legi curet. *Remus ad h. art. p. 86.* Eandem namque vim habet, si accusator ore querelam & formulam accusationis in Judicio apud acta recitet, & scriba juratus eam Protocollo inferat judiciali, si libellum in scriptis porrigat, cum exinde Judex accusatoris mentem percipere, & ulterius procedere poterit. Vide *Salycet.*

*ad L. penult. num. 2. C. de Accusat.
fol. 920.*

Qq 2

ARTI-